

Bibliothèque numérique

medic@

**Thouret, Auguste - candidat / Desbois
de Rochefort, Louis - président. - An
sunt ne habiliores ad Artem Medicam,
qui Imaginatione praepollent ?**

1774.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°49***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0049](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0049)

49.

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS;

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-secundâ

Decembris, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. LUDOVICO DES BOIS DE ROCHEFORT, Equite;

Doctore Medico, Præfide.

Sunt ne habiliores ad Artem Medicam, qui Imaginatione præpollent?



EDICINA ars traditionis est, scriptis & verbo propagata. Rationi & experientiæ insistit. Experientia, rerum ante gestarum memoriâ stat, & complectitur quicquid observatione circa sanitatem & morbos, & utrisque apta præsidia ab antiquo collectum est. Ratio, judicium est, quo, ex pensitatis quæcumque pensitanda sunt, determinatur quid pro conservandâ, quid pro restituendâ sanitate agendum sit omit-tendumve. Utraque firmis argumentis sit innixa necesse est. Auxilium quodvis adhibere, temerarium est, nisi concurrentibus omnibus deprehendatur illius oppor-tunitas. Pro experientiâ habere obscuras quasdam observationes, multiplici successu non satis firmatas, id certè periculi plenum. Falleretur qui unius sui judicio semper crederet. Curta foret vel senioris experientia, si is alia non nosset quàm quæ ipse expertus est. Experientia Medica, non unius hominis, non unius societatis, non unius seculi, sed omnium, quotquot ab antiquissimo ævo exstiterunt, Medicorum, imò & quandòque reliquorum hominum, opus est. Ab obser-vatione fluunt, quæcumque de sanitatis & morborum phænomenis cognoscuntur. Prægressas evidentes morborum causas monstravit observatio: horum accidentia, periodos, & finitiones docuit: indicavit unde & varii morbi inter se, & varia ejusdem morbi tempora dignoscerentur: quicquid conservandæ & restituendæ sanitati conducibile est, unde quaque desumfit & coacervavit. His cognitionibus ad medendum uti, rationis munus est. His instructa, audet agere, quæ secus præ timiditate remaneret iners. Sic, nisi observatum fuisset plures morbos vomitu & alvi fluxu sanatos, nunquam ratio sola emeticorum purgantiumque medicaminum metum excussisset. Nunquam pariter ausi fuissent Medici, etiam detectâ sanguinis circulatione, ex incisus venis fundere sanguinem; nisi observatione constitisset prius, spontaneum sanguinis profluvium ægris compluribus saluti fuisse. Sic ratio, ex imitatione Naturæ, sanandi adinvenit leges, atque ad ejus genium totam con-cinnavit Medicinæ artem. Medicus ergo Naturæ minister est, iners dum agit ipsa, nisi sit auxiliandum; dum ipsa jubet, paratus exsequi. Mutus verò est Naturæ sermo: nutu loquitur & signis. Nisi sedulitate magnâ, non capitur quid velit. Arque etiam intellecta jussa, sine multâ circumspectione maximâ que prudentiâ, rectè facere nemo potest.

* Propugnata, anno 1736.

VOCEM autem Naturæ non melius cognoverit is, qui ejus interiora voluerit scrutari. Intellexi, inquit Sapiens, quoddam omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub Sole: & quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniat. Naturam igitur non possumus cognoscere prout in se est, sed tantum, prout se habet ad nos. Illud verò hominibus necessarium non esse constat, quod Deus illos latere voluit. Sufficit itaque Medico, rerum perfectos habere effectus: essentias si posset assequi, fortè suæ artis immensitatibus foret impar. Satis quippe jam & longè fructuosioris operæ impendendum, in pernoscendis iis, quæ ad Medicinam verè necessaria sunt. Quæ de sanitate, morbis, remediorum potestatibus, memoriæ tradita sunt, animo tenere; inter agendum, occurrentia quæque proprio Marte studiosè notare; observationes suas inter se, & cum aliorum observationibus conferre; omnibus demum maturè perpensis, inferre quid factò opus sit, quid non; id verè est Medici munus. Huic porrò muneri rectè adimplendo, sunt, præsens memoria, assidua observatio, judicium sagax. Artis præcepta memoria sufficit, his judicium aptat quæcunque patefecit observatio, atque ex hac comparatione elicit quid sit agendum. Oportet itaque fidelis sit memoria, completa observatio, judicium maturum. Tria hæc concurrant necesse est. Sed solius est judicii, duo priora regere & moderari. Nisi ad judicii normam composita sit memoria, vix quicquam suggeret tempestivè. Nisi observationi præsit judicium, manca hæc evadet & imperfecta. In Medico itaque maxima requiritur firmitas judicii, exquisitiorque prudentia: quâ, non timidus, sed consideratus sit: (quanquam & sæpius præstaret timidum esse quàm audacem) quâ attentus ad omnia, singula expendat: quâ nihil inconsulto molitur; à traditione non recedat; novi nunquam avidus, remediis non satis exploratis timeat uti: quâ demum, quum res est obscurior, totum potius Naturæ committat, nisi id ipsum sit inutile, & præstet remedium anceps experiri quàm nullum. Quicquid ergo adeò necessariæ in Medico prudentiæ ob stare deprehendetur, illud ad artis exercitium minimè conducere planum est.

I I I.

VIS illa, quâ mens rerum percipit imagines, imaginatio dicitur. Hæc qui præpollent cæteris, arrepto quovis objecto fortius percelluntur. Hinc, de iis quæ plenè intuerentur, rectius quidem judicarent; verum hinc etiam fit, ut iudicio præcipiti rapiantur in errorem: quippe ex iis rebus impelluntur & statuunt, quibus vix alii commoverentur. Id enim habet vividus imaginationis impetus: potenter afficitur intellectus, & voluntatem in consensum trahit. Ad hæc, mens hæc ratione altius attacta, excogitatis semel pertinaciter adhæret. Inde, difficile est, ut, qui sunt hujusmodi fervidâ imaginatione, in errorem lapsi, erigantur. Inde est etiam, quod aliorum placita despiciant lubenter, suis superbiant quàm facilimè. Ut autem præ cæteris hominibus splendidiore effingunt sibi rerum imagines, ita in iisdem rebus longius quàm illi vident; atque ex primis suis conceptibus, in alios inde subsequentes latè diffunduntur. Utile quidem foret istud veritatis indagationi, si modò satis nossent rerum omnes & singulos respectus attendere. Sed rapido imaginationis cursu abrepti, quia nesciunt immorari, veritatem præterlabuntur, & ab eâ magis ac magis declinant; atque suis ipsi priores præcipitibus judiciis decepti, alios quâdam velut contagii labe afflare consueverunt: affectus siquidem commovere docti, pollent persuadendi arte. Nempe, quæ quisque altiori mente concepit, de iisdem vehementius differit, hominibusque inculcat potentiùs. Ex his colligere licet, talem imaginationem, si suavoriis artibus utilis esse possit, inutilem profectò esse, imò damnosam, in veritatis inquisitione. Quî fieri enim posset, ut istiusmodi imaginatio, rectumque ac maturum judicium, in unâ sede morarentur? Qualia autem ferrentur judicia, ubi, ex imperfectâ veritatis indagatione, malè certis fundamentis superstruerentur?

MAGNAM imaginationis vim, & requisitam in Medico prudentiam, stare simul non posse, haud ægrè fatebitur, qui considerare voluerit, quid prudentia postulet Medicum, quid eundem cogeret fortis imaginatio. Prudentiæ est, Naturam indefessè observare & studiosissimè consuetari: in causâ foret acris imaginatio, ut, iis percussus Medicus quæ primo intuitu detexisset, vel quæ primâ vice fuisset expertus, observationes negligeret pluries repetere, alias aliis vel corrigere vel confirmare; unde, & ignoraret plurima, quæ nonnisi longâ assiduitateprehenduntur, & plurima pro constantibus haberet, quæ varietatibus obnoxia iterato examine cognovisset. Jubet prudentia, ut ea quæ ab aliis observata sunt & proposita, Medicus sedulò meditetur, senioribus auscultet, horum consilia & animo teneat, & fideli imitatione prosequatur: sed quicumque imaginatione pollerent, sibi tantum credentes, aliorum sententias capere, multò magis probare & sequi, dedignarentur. Requirit prudentia, ut Medicus ea contentus inquirere & addiscere, quæ ad artem verè utilia sunt, vanis speculationibus tempus hominum salutis debitum non concedat: sed eorum qui fervidâ essent imaginatione, irrequieta mens, amaret altè sapere; necessarias sed obvias cognitiones parvi pendens, secretiora Naturæ mysteria, quæ non posset retegere, divinare gestiret; omniumque aggrederetur explicationes, vana systemata, *suppositionibus*, id est, nullis prorsus fundamentis, suffultas theorias, fluxas & instabiles. Exigit prudentia, ut Medicus ex iis iudicet, quæ sensuum ministerio cognoscit: sed ii quorum animus imaginationis vi plus satis obtemperaret, æquè vividas exhiberent sibi rerum absentium imagines, ac alii præsentium, sic in animum inducerent videre se quæ neutiquam viderent. Denique, vetat prudentia, ne quid in artis exercitio novitatis amor det Medicus, ne quid ex levioribus momentis capiat consilii, neve in deliberando aliquoties animi pendere crubescat: sed enim, imaginatione qui præpollerent, ipsi novitatum essent amatores; rerum facies primâ specie apprehendere consueti, non deliberarent, sed pronunciant; neque ex his quæ observare fortè contigisset sua ducerent iudicia, sed potius occurrentia quæque semel conceptis aptarent opinionibus. Quot ergo consequerentur noxæ, si, qui sic à Naturâ comparati sunt, faciendam susciperent Medicinam! Observationibus inhabiles, falsas sibi haberent aut imperfectas: præcipites in iudicando, inconsideratè agerent, præstarentque se in exhibendis remediis intempestivè audaces: suæ doctrinæ admiratores, contemptores alienæ, quicquid non credidissent ipsi, illicò damnarent; quæ sibi arrisissent, obstinatè retinerent: &, quod perniciosius esset, summâ suâ dicendi facilitate ac potestate persuadendi, alios non rarò suos traherent in errores. Felicem verò ægrum, si fortè primâ accessione benè cogitavissent!

V.

DE Medicinâ igitur non rectè sentit, in suo *Ingeniorum scratinio*, Jo. Huarte, qui homines vividiori imaginatione pollentes, ad hujus artis exercitium habiliores esse opinatus est. Ista mentis facultas, quum prævalet, reliquas deprimat. Sanè, si languida esset nimis, frigeret animus & ignaviâ torperet. Oportet itaque, ut imaginatio suppetat Medico quantum satis sit. Ratione contemptata, valde proficua est. Huic quandiu subjacet, iudiciorum non præpedit maturitatem, & consequenter, suum relinquit prudentiæ locum. Quicumque ergo iustâ hâc imaginationis mediocritate donati, accedunt ad artem Medicam, ii sunt reverâ huic arti longè aptissimi: qui nempe, quum & observandi patientiâ simul & detegendi sagacitate excellant, constant iudicio & valent prudentiâ. Huiusmodi fuit Hippocrates. Senex ille, quem divinum jure appellavit antiquitas, de rebus naturalibus simplicius quàm subtilius differens, nunquam rationem ab observatione sejunxit. Solius veri amans, si quas delibavit opiniones, ab illis nunquam detentus fuit. Plurimus in observando, quicquid experientia mon-

4

strare videbatur, tradidit, à posteris revifendum; &, fi quid peccaret, emendandum. Neque fuos illum errores fateri puduit, neque fuit unquam fuæ fententiæ tenax: &, quæ in variis illius operibus fibi dilcrepare deprehenduntur, innuunt, gnarum illum fuiffe retractare quæ jam dixerat, ut in melius immutaret. Patet ex his, fumum virum, non imaginationis vi, fed exquisitiffimo iudicio, in mendendi arte præcelluiffe, quam ufque ad eò auxit & amplificavit. Eædem fuerunt dotes eximiorum virorum, quos ars Medica præclaros tulit. Eædem quoque fint necesse eft illius, quicumque ad Medicinam appellit animum. Quum autem vulgò non reperiantur in iis, qui plurimâ imaginatione pollent; ftent ii à Medicinâ procul. Ii, & Picturæ, & Poëfi, & Muficæ allaborent, ii & orent caufas meliùs; fed abftineant à disciplinâ, in quâ imaginatio non regere fed regi debet, & cujus exercitium confummationis prudentiæ opus eft.

Non ergo habiliores funt ad artem Medicam, qui Imaginatione præpollent.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis - Nicolaus
MALLET.

M. Marinus - Jacobus -
Clarus ROBERT.

M. Iosephus - Mariâ -
Francifcus LASSONE,
Regis in Sacro Confif-
torio Confiliarius, S.
Delphinæ Medicus Pri-
marius, Cenfor Regius
& Regiæ Scientiarum
Academiæ, necnon Re-
gii Medicorum Nan-
ceianorum Collegii So-
cious.

M. Francifcus-Ludovicus
D'ONGLE'E.

M. Maximilianus - Iose-
phus LEYS, Rei Her-
bariæ Profeflor defi-
gnatus.

M. Iulianus BUSSON,
Nofocomiorum Regio-
rum in Britannia inf-
pector, & Sereniffimæ
Comitiffæ Atrebatum,
Medicus Primarius.

M. Guillelmus FUME'E.

M. Iohannes DESCOMET,
Cenfor Regius.

M. Petrus BERCHER,
Regiæ Hispaniarum
Infantis, dum viveret,
necnon Regii exerci-
tûs ad Infimum Rhe-
num in ultimo bello
Medicus primarius

Proponebat Parifis AUGUSTINUS THOURET, Lexoviensis, Doctor Medicus
Cadomenfis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus.
A. R. S. H. 1774, à sextâ ad Meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.